

indigeat Dei concursu reducendo illam virtutem de potentia ad actum; sic enim ageret per formam et virtutem propriam effectum supernaturalem.

DXX. Quare actus primus instrumenti non potest esse terminus primo et directe productus per aliquam actionem, cum non sit aliqua forma habitualis, seu virtus ipsi instrumento per aliquam actionem impressa, sed est subordinatio instrumenti ad causam actualiter producentem, et operantem effectum; non quidem simpliciter, sed cum subordinatione activa instrumenti, ut egrediatur ab eo actio in effectum. Cum ergo in instrumento actus primus non sit aliqua forma cui effectus assimiletur in aliquo gradu, sed tota assimilatio correspondeat activitati causæ principalis, non oportet (imo nec potest) per actionem distinctam dare ista impressio instrumento, et per aliam tendere ad effectum, cum ad motum non sit motio, neque actio; sed per eandem actionem, qua agens principale est in actu secundo ad producendum effectum, habet simul subordinare sibi instrumentum, et ordinare illud ut effectus exeat ab eo supra naturam suam; et ita illa productio quæ exit ab instrumento, distinguitur a motione impressa instrumento; ut actus secundus a primo exeunte per modum transeuntis et fluxus, non per modum virtutis et formæ in instrumento; et consequenter non per aliquam specialem actionem producto. Ad motum enim non datur actio; sed per eandem actionem quæ perfecte tendit ad terminum extra intentionaliter actuatur instrumentum.

DXXI. Unde illa productio Dei, et actio ad extra, habet pro effectum, non quod est in instrumento (quia hoc non proprie est effectus, sed

motio) sed id, quod extra instrumentum producit; quia tamen producit illud simul cum instrumento, et ut exeat ab instrumento, non supponit in illo virtutem aliquam, aut formam, a qua exeat; ideo simul illa actio motionem imprimit elevando instrumentum, et ad effectum concurrat cum instrumento, quod est præcipue intentum a causa principali. Nec repugnat quod eadem actio habeat duplicem effectum præsertim quando unus ordinatur ad alium, et unus est effectus simpliciter, et alius secundum quid; quod non est simpliciter effectus, sed motus ad effectum. Et licet actio egrediens ab instrumento distinguatur ab ista motione, tamen actio causæ principalis concurrat ad effectum cum instrumento, et habet motionem imprimere instrumento, quæ motio non est simpliciter terminus actionis; et habet per talem motum ad ulteriorem effectum tendere, qui est simpliciter effectus talis concursus, licet non sit immediate solum a causa principali, sed mediante instrumento, et concurrando cum illo.

DXXII. Secundo arguitur: Ex conjunctione ad causam superiorem, sine aliqua motione addita instrumento de novo, causa inferior instrumentalis operatur effectum supra propriam virtutem: ergo non est opus alia virtute superaddita instrumento, neque per modum motionis. Antecedens multis exemplis constat; calor enim in animali, ex conjunctione ad animam, sine nova virtute superaddita producit carnem: phantasma ex conjunctione ad intellectum agentem producit speciem spiritualem, sine nova virtute superaddita; et similiter color ex conjunctione ad lucem, et motus cæli ex conjunctione ad intelligentiam moventem, producit viventiam, ac denique intellectus et voluntas,

sine aliqua qualitate superaddita, ex sola subordinatione ad divinum auxilium producant primos actus supernaturales.

DXXIII. Confirmatur, nam semen sine aliqua motione superaddita sibi, quæ sit intentionalis virtus causæ principalis, producit effectum instrumentaliter: ergo non est necessaria intentionalis motio recepta in instrumento, sed sufficit subordinatio ad agens principale.

DXXIV. Confirmatur secundo, nam imperium Dei practicum applicatum creaturæ sufficienter constituit illam in actu primo ad instrumentalem actionem: ergo sine aliqua immutatione naturali ex parte instrumenti, per subordinationem ad causam principalem, et applicationem imperii practici constituetur in actu primo. Antecedens probatur, nam practicum Dei imperium non solum est formaliter immanens, sed virtualiter transiens: ergo ipsum divinum imperium est de se accommodabile creaturis, et virtus divina per imperium sic applicata sufficienter constituet causam instrumentalem in actu primo, cum non per propriam virtutem in actu primo constituetur.

DXXV. Respondetur distinguendo antecedens, ex conjunctione ad causam superiorem, sine aliqua motione de novo constituitur causa instrumentalis in actu primo; si conjunctio ipsa sit connaturalis, vel ad objectum extrinsecum connaturale, concedo; si conjunctio ipsa sit obediens, et ad objectum excedens terminos naturæ, nego. Quando enim duæ causæ connaturaliter conjunguntur, ipsa naturalis colligatio, sine alia motione superaddita, est sufficiens constituere in actu primo causam instrumentalem inferiorem. Quando autem colligatio non est naturalis inter unam causam et aliam; sed solum obediens non repug-

nantia, oportet quod quando de novo causa ordinatur ad superiorem effectum, per aliquam sui immutationem ordinetur, et ita virtutem de novo suscipit a causa principali, seu activitatem ad agendum, quam non per modum formæ, sed per modum motus habere debet.

DXXVI. Et hinc patet ad exempla adducta in probationem antecedentis, quamvis in illo de phantasmate probabilius sit quod ad quamlibet speciem producendam intellectus agens sua actione et illustratione movet phantasma, ut producat speciem, quæ excedit latitudinem corporei phantasmatis, quia spiritualis est. Similiter motus cæli, cum procedat ab intelligentia, procedit ut virtuosus; et sic non solum est corporeus, sed etiam vitalis, non ex pura et extrinseca subordinatione, sed ex ipsa processione ab intelligentia. Quod vero adducitur de intellectu et voluntate, quando ante receptionem habituum operantur actus supernaturales dicimus, quod tunc præmoventur, et præaccipiunt auxilium divinum, quod aliquid reale est; et ab illo accipiunt virtutem, non per modum habitus, sed per modum dispositionis transeuntis, ut vitaliter operentur actus supernaturales; unde non ex sola extrinseca subordinatione, sed ex reali virtute, et immutatione superaddita operantur.

DXXVII. Ad primam confirmationem respondetur, quod semen est instrumentum naturale viventis, et virtus naturalis ejus ab eo decisa; unde ex conjunctione naturali ad vivens virtutem habet ut decisa ab eo operetur sine nova motione, sed per virtutem quam ex ipso vivente habet, ut naturalis ejus virtus. At vero instrumentum obediens trahitur de novo ad operandum ex influxu causæ principalis; unde oportet, quod de novo immutetur

aliqua activitate, et ordinatione ad effectum, non per modum formæ, sicut causa principalis, sed per modum motionis.

DXXVIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod practicum Dei imperium constituit creaturam sufficienter in actu primo, immutando passive ipsam, concedo; sine mutatione ejus, et aliqua virtute creata recepta in ipsa, nego, quia eo ipso quod imperium illud movet creaturam ad agendum, oportet quod ei activitatem præbeat ut ab ea exeat actio, quod non potest fieri nisi ex vi illius passivi immutetur creatura, et suscipiat activitatem ad hoc ut actio egrediatur: quod optime per illud imperium fieri potest, quia virtualiter est transiens.

DXXIX. Tertio arguitur: Humanitas Christi est conjuncta Verbo divino, et intrinsece terminata ejus personalitate: ergo ex conjunctione hac virtutem habebit ad operandum supernaturaliter, si quidem causa inferior ex conjunctione cum causa superiori, quando conjunctio illa est permanens, virtutem participat ultra propriam naturam.

DXXX. Confirmatur: Corpus Christi mortuum erat sanctificativum, et productivum gratiæ, et tamen nullum habebat motum aut motionem: ergo sine aliqua motione potest instrumentum operari, et ita illud faciet ex sola subordinatione ad causam principalem: et simile argumentum est de Christo Domino sacramentaliter existente in eucharistia.

DXXXI. Confirmatur secundo: Nam si virtus productiva gratiæ motui attribuitur, ergo caro Christi non est quæ sanctificat, sed motus ejus humanitatis, si quidem non caro, sed motus influit in effectum, et habet virtutem susceptam principalis agentis; ergo solum talis mo-

tus influit; et præsertim secundum opinionem, quæ dicit actionem quæ est motus, esse in passo tunc enim quando, verbi gratia, Christus Dominus linivit oculos cæci, non in Christi humanitate, sed in oculis cæci fuit ille motus, et consequenter illa virtus instrumentalis. Ac denique, quia ex artificiosis instrumentis non potest deduci consequens argumentum ad instrumenta supernaturalia, cum artifex movendo instrumenta nil efficiat supra naturam ipsorum instrumentorum, solum enim applicatur instrumentum ad diversa loca, ut expellat unum corpus, aut aliud inducat: ergo ex hujusmodi motione non trahitur sufficiens argumentum ad ponendum motionem in instrumentis supernaturalibus, præsertim quia ille motus plerumque non est corporalis, sed volitio, aut intellectio animæ Christi, quæ proinde ipsius carnem sanctissimam corporaliter non afficiunt, et ita per illa non moventur ad causandam in nobis gratiam.

DXXXII. Respondetur, quod humanitas Christi ex conjunctione ad Verbum, et terminatione intrinseca illius, non acquirit aliquam virtutem, aut activitatem supernaturalem, sed solum radicale principium operativum, quod est suppositum. Unde sicut præter suppositum requirit facultates in anima (intellectum videlicet et voluntatem) ut operetur tamquam agens principale, sic præter suppositum requirit motionem et activitatem instrumentalem, ut instrumentaliter operetur. Ex terminatione autem præcise humanitas illa solum acquirit esse terminum, et personatam, et tractam ad esse divinum; non vero actuam esse ad agendum. Unde Verbum non unitur humanitati ut agens, sed ut terminus; unde ut sit agens supernaturaliter, oportet quod ei addantur virtutes, seu formæ agendi su-

pernaturaliter; et ut dicatur instrumentum, oportet ei ad motionem, et participationem virtutis principalis agentis, cum instrumentum operetur ex motione et participatione virtutis principalis agentis; principale autem agens respectu humanitatis Christi non est Verbum solum, sed tota Trinitas; ergo ex sola terminatione Verbi non intelligitur constitutum instrumentum, sed ex subordinatione ad totam Trinitatem, et consequenter ex motione de novo participata.

DXXXIII. Quare licet talis terminatio sit radicale principium dignificans omnes actiones Christi Domini, non tamen est formalis activitas omnium actionum, cum solum uniatur ut terminus, non ut activitas, seu ratio agendi; et ita ex conjunctione ad talem terminationem non acquirit humanitas majorem activitatem, sicut acquirit causa inferior ex unione ad superiorem, quia unitur ei non solum ut terminanti, sed ut agenti, et communicanti formalem activitatem (quod in præsentem non fit) cum formalis activitas non a sola Persona Verbi, sed a tota Trinitate descendat.

DXXXIV. Ad primam confirmationem respondetur, aliud esse motum seu actionem quæ in instrumento præexigitur, tamquam conditio antecedenter ad motionem causæ principalis; aliud esse motum seu motionem, quæ requiritur in instrumento ut actus primus et ratio agendi, in quo videtur hallucinatus magister Vincentius. Motus enim, qui est actio proprie instrumenti, et ad quam ipsum se habet ut causa principalis, non est actus primus instrumenti, sed si requiritur, requiritur de conditio; et secundum plures, de potentia absoluta non est necessarius aliquis talis motus, seu actus, sed res omnino quiescens a

motu naturali, potest accipi a Deo ut instrumentum, solum ratione obediens motus, seu non repugnantia.

DXXXV. Cæterum si vellemus dicere, quod ista actio omnino præexigitur ad hoc, ut exeat actio productiva effectus principalis ab instrumento, quæ non exhibit, nisi tale instrumentum agat, dicendum est, quod corpus exsanguis Christi Domini poterat agere, saltem aliqua actione large loquendo, videlicet per contactum ad alias res, ut ad crucem, vel ad sepulcrum, et per mutuam reactionem et repassionem quam habent corpora etiam inanimata; non enim necesse est quod sit motus localis sensibilis, sed sufficit quilibet motus, verbi gratia, in frigidatio, aut humefactio, aut descensus, aut quilibet alius contactus, quo qualitates unius corporis alteri communicantur; has quidem actiones possumus reperire in cadavere exsanguis. Cæterum motio illa, quæ constituit instrumentum in actu primo, est motio spiritualis, et participatio virtutis increatæ, quæ communicatur ipsi corpori, ut moveatur motu virtuoso et sanctificato, sicut communicatur chordis ut moveantur harmonice.

DXXXVI. Ad secundam confirmationem respondetur, virtutem illam, quæ a causa principali communicatur instrumento, non communicari ipsi motui instrumenti, sed instrumento, ut motum producat. Constat enim, quod quando motus exit ab instrumento, subordinatur causæ principali, et exit virtuosus, ut supra propriam naturam operetur, non autem quando jam exiit motus a causa instrumentali, tunc elevatur ipse actus secundus. Dicimus ergo, quod ipsum instrumentum suscipit in se virtutem creatam constituentem ipsum in actu primo per modum transeuntis, atque adeo ante-

cedentem ipsum motum, unde non motui, sed instrumento constituto virtuose attribuitur productio effectus principalis.

DXXXVII. Quod autem adducitur de instrumentis artificiosis, dicimus quod applicatio artificis duo facit, et movere instrumentum, ac motu locali ordinare; et movere artificiose, ut videlicet artificiosum effectum producat. Quantum ad motum præcise, solum artifex est applicans, securis vero per suam aciem expellit corpora, aut movet localiter; quantum ad formam artificiosam non se habet artifex ut applicans, sed ut communicans instrumento virtutem ad effectum artis, qui de novo tunc producitur, et non per solam virtutem naturalem, sed per motionem artificiosam, ut in pulsatione chordarum patet, quando simplici motu pulsantur, aut quando artificioso et harmonico.

DUBIUM NONUM ET ULTIMUM.

AN ITA SIT DE FACTO, QUOD SACRAMENTA NOVÆ LEGIS SINT CAUSÆ PHYSICÆ GRATIÆ; AN MORALES?

Conclusio est affirmativa.

DXXXVIII. Pro cuius intelligentia advertendum est, quod hoc differt inter causalitatem physicam et moralem, quod moralis non respicit effectum quoad esse suum, et educationem extra causas, sed respicit voluntatem a cuius dispositione vel efficacia pendet effectus. Unde causa moralis solum habet movere voluntatem per propositionem objecti, non autem habet in ipsum effectum influere per operationem et efficaciam, seu actionem productivam ipsius esse. Unde causa moralis supponit physicam operativam effectus; ipsa vero effectum non ope-

ratur, sed expectat ab alio, ut dicit D. Thomas. Et loquimur de morali causalitate, secundum quod condistinguitur a physica, et seorsum ab ea reperitur. Quando enim agens physicum alicujus effectus est agens liberum, quia videlicet per intellectum et voluntatem operatur, tunc non repugnat esse simul morale, quia libere agit, dum agit physice; sed non loquimur in præsentia de hac moralitate causæ, sed de causalitate morali.

DXXXIX. Bene stat enim, quod causa moralitatem habeat, quia causa libera est, et tamen physice operetur, quia effectum in esse producit; si tamen causalitas moralis sit, nunquam attingit rem in esse, nec influit realiter in ipsam per productionem, sed solum extrinsece se habet, ut movens moraliter voluntatem ad hoc ut operetur, vel applicet aliquid ad effectum. Et hoc est quod quærimus in præsentia, an taliter sacramenta sint causa gratiæ, quod non solum causalitatem moralem habeant, sed etiam physicam. Et quia similis ratio est de humanitate Christi et de sacramentis, ideo consequenter afferemus in probationem ea, quæ de humanitate Christi dicuntur, et quæ de sacramentis.

DXL. Igitur quod attinet ad S. Thomam, clare tenet quod humanitas Christi et sacramenta physice influant gratiam. Et primo quidem id patet ex tertia parte, quæst. xiii, art. ii, ubi loquens de anima Christi, in quantum est instrumentum unitum Verbo, dicit: « Quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quæ conducunt ad finem incarnationis; non autem ad annihilationem vel creationem; » si autem non loqueretur de instrumento physico, sed morali, vel de conditione extrinsece requisita, clarum est

quod non posset negare virtutem moralem ad creationem vel annihilationem. Nihil enim repugnat quod Christus impetrare posset annihilationem diaboli, vel creationem unius Angeli aut animæ.

DXLI. Secundo, quia in quæstione lxxxiv ejusdem tertiæ partis distinguit aperte modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, a modo morali. In primo enim articulo determinat, quod per modum meriti operata sit salutem; in secundo, quod per modum satisfactionis; in tertio, quod per modum sacrificii; in quarto, quod per modum redemptionis; qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis: ergo quando postea in articulo sexto determinat, quod etiam per modum efficientiæ operata sit salutem tamquam Verbi instrumentum, manifestum est loqui de efficientia physica. Nam si de efficientia morali loqueretur, eo ipso quod loquebatur de operatione per modum meriti et satisfactionis et redemptionis, loquebatur de efficientia morali: ergo si præter omnes istos modos addit modum efficientiæ instrumentalis, plane loquitur de efficientia, quæ non est moralis, si quidem de ipsa in quatuor aliis articulis locutus fuerat.

DXLII. Et ideo S. Thomas in articulo sexto ponens argumentum: « Quod non potest idem operari per modum meriti et per modum efficientiæ, quia ille qui meretur expectat effectum ab alio: ergo si passio Christi operata est salutem per modum meriti, non potest operari per modum efficientiæ, » respondet: « Quod passio Christi respectu diversorum habet meritum et efficientiam; respectu enim divinitatis habet efficientiam; respectu vero voluntatis humanæ, habet rationem meriti. » Quæ responsio nulla

esset, si non loqueretur de efficientia physica, sed morali; tum, quia efficientia moralis expectat effectum ab alio, cum ipsa non det esse effectui; S. Thomas autem loquitur de efficientia, quæ non expectat effectum ab alio, sed ipsa facit effectum; tum, quia efficientia moralis respectu voluntatis humanæ Christi est, et non solum respectu divinitatis, cum divinitas physice efficiat, et non sola causalitate morali.

DXLIII. Similiter in quæstione quadragesima nona, articulo sexto determinat: « Quod mors Christi in fieri operabatur salutem, sicut passio; mors autem in facto esse non potuit operari salutem per modum meriti, sed solum per modum efficientiæ, quando jam erat anima a corpore separata, ac adeo non merebatur; » et idem docet de resurrectione Christi quæst. lvi, art. i ad tertium, super epistolam ad Romanos, cap. iv, super illa verba: *Resurrexit propter justificationem nostram*, ubi ostendit S. Thomas, resurrectionem Christi non operari per modum meriti, quia Christus resurgens jam non erat in statu merendi, et ideo solum operari per modum efficientiæ; si autem per efficientiam intelligeret moralem efficientiam, non distingueret illam contra meritum; meritum enim moralis efficientia est.

DXLIV. Nec potest dici, quod efficientia illa, licet non sit meritum, est tamen impetratio, quæ non repugnat Christo, etiam post resurrectionem. Contra hoc enim est primo, quia tunc non ipsa resurrectio, neque ipsa ascensio in cælum haberet causalitatem in nostram salutem, sed actus voluntatis aut intellectus, quo Christus post resurrectionem et ascensionem oravit. D. Thomas autem de ipsa resurrectione et ascensione, et de ipsa morte in facto esse, prout est sepa-